

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Caput II. Quo eiusdem litis aequa consideratio ex scripturis, Patribus,
Protestantibus, aliisque viris moderatissimis continuatur & concluditur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

ribus scholasticis & recentioribus theologis romanensibus, inprimis Cajetano, Antonio Marinaro, Claudio Guillaudo, Hier. ab Angesta, & late ex Catharino. Atque haec de diversis, immo adversis Romanensium super hac re sententiis.

Pag. 103.) CAPUT II.

Quo ejusdem litis aequa consideratio ex scripturis, Patribus, Protestantibus, aliisque viris moderatissimis continuatur & concluditur.

Communior Protestantium sententia est, *posse* vere fideles certa fide & divina statuere, per gratiam Spiritus S. sibi remissa esse peccata, immo *debere* etiam omnes hoc de se statuere, quia ad eam certitudinem scripturam fideles ubique hortari arbitrantur. Sed male adjicit Bellarminus lib. 3. cap. 3. tanquam *ex communi Protestantium*, qui sic sentiant, *opinio ne, alioqui nec fideles nec justos futuros*. Detur enim, quosdam rigidiores aliquando adeo incommode & inconsiderate loqui, haud gravate tamen concedunt omnes alias, quando paulo explicatius loquuntur, *in multis etiam fidelibus & justis, certitudinem hanc ἀπεράτωτον de facto non inesse, & in quibus aliquando est, non semper inesse*, sed non raro carnis infirmitatibus interturbari; fidem enim aliquando magnam & vividam

vividam esse, aliquando modicam & languidam. Ut alios silentio praeteream, Remonstrantes, qui in sententia sua Synodo dordracenae exhibitae, circa articulum. 5. de Perseverantia, th. 7. vere fidelem pro tempore praesenti de iustitia & salute sua certum esse posse ac debere affirmant, & hic Pontificiorum sententiam se improbare (vide Acta Remonstr. art. 5. pag. 186.) profitentur, in Declaratione suae sententiae pag. 195. sic loquuntur: *Neque tamen diffitemur, fieri posse, ut quis vel errore aliquo, vel contrariae opinionis diutina consuetudine, vel infirmitate, vel tentatione aliqua gravi correptus, haesitet & vacillet inter spem metumque, qui tamen aliquin probissimus & innocentissimus est. Neque id saluti ipsius ullatenus obfuturum credimus: Si quis enim sincere & ex animo Deo obediat, sive sciat, & persuadeat sibi se obedire, & in statu proinde iustitiae ac salutis versari, sive id persuadere sibi aut non possit aut non audeat, salvum tamen nihilominus poterit. Non enim scientia aut certitudo, quod obedientiam talem praestet, quam aeterna salus secutura est, sed obedientia ipsa ad salutem necessaria est.* (Pag. 104.) Vide & Fr.

Whiteum contra Fisherum jesuitam de Certitud. salutis pag. 166. Joh. Mayerum in Jacobi 2. 19. pag. 30. 31. & Dounamum de Foedere gratiae cap. 8. pag. 102. & in Appendice pag. 218.

Multi etiam Protestantium hac ipsa fide, ac sola hac fide (ut refert Bellarminus loco citato, sed non satis bona fide, eam sententiam omnibus Protestantibus attribuens) quam tamen semper

vivam

vivam esse existimant, homines iustificari volunt. Sed qvid de hac ultima multorum Protestantium sententiae parte iudicandum sit, abunde dictum est lib. 1. qvo lectorem remitto.

Posse autem & debere vere fideles de praesente gratia & iustitia fide divina certos esse, non solum Protestantes plerique docent, sed etiam nonnulli Romanenses, ut cap. praeced. fuisse ostensum est. *Alteri vero* (inquit Hist. Concil. trid. lib. 2. pag. 344.) *certitudinis patroni, ab adversariis* (Soto aliisque) *coacti, animi sui sensum diserte exprimere, utrum crederent, hominem posse certitudinem gratiae habere, aut vero etiam hominem putarent ad id credendum teneri, & utrum fides ea divina esset an humana, tandem professi sunt, quandoquidem fides ea exhibeatur testimonio Spir. sancti, non posse eam relinqui hominis libertati, cum unusquisque teneatur credere revelationibus divinis, ac proinde fidem illam non aliter appellandam, quam divinam.* Bellarminus etiam ipse lib. 3. de Justif. cap. 3. sect. *His erroribus*, concedit, sententiam, quam hodie communiter tuentur Romanenses, communem tantum esse fere omnibus theologis, non igitur esse omnium theologorum sententiam. Horum suorum sodalium sententiam, licet alii Romanenses erroneam esse iudicent, atque etiam decreto Concilii trid. adversari, haereseos tamen damna-
re nec volunt nec audent; (vide Bellarm. loco citato, sect. *Tertia sententia*, aliosque plurimos) in Protestantibus tamen haeresin esse volunt. Utinam illi se adeo aequos Protestantibus, ut
L
suis;

suis, praeberent! Certe sic candorem suum & charitatem magis probarent Deo & omnibus piis, & quod eos *προσωπολήπια* arguerent, minus hodie haberent Protestantes.

Sententia tamen haec plurimorum Protestantium, atque nonnullorum etiam Romanensium, de certitudine fidei divinae, quoad hanc rem, ut libere quod res est dicamus, *non satis tuta* esse videtur. Pag. 105.) Pugnat enim i.

cum multis Scripturae locis, ut fuse ostendunt, ii, qui hodiernas controversias pertractant: quos adi, lector studiose. Memineris tamen, ne erres, locos quosdam communiter ab illis adduci, qui nihil ad hanc rem faciunt. Verba enim illa Ecclesiastae 9. v. 1. vel 3. *Nescit homo utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*, quae argumentum palmarium plerisque Romanensibus praebere videntur, nihil ad hanc causam spectant: nam locus a multis utriusque partis viris hebraice doctissimis multo aliter & melius ex habraeo vertitur, quam ab interprete vulgato; & Salomonis mens non alia est eo loco, quam *ex eventis externis* Dei amorem odiumve certo cognosci non posse. Quod ingenue agnoscunt etiam quidam Romanenses doctissimi, Arias Montanus aliique, quos nihil necesse est commemorare. Vnde Alph. de Castro, cum in prima edit. operis adversus Haereses lib. 7. ex hoc loco firmissimum argumentum duci posse putasset, ultima tamen errorem revocavit, & hunc Salomonis sensum candide agnovit esse: *Nemo aliquid*

aliquid horum (sitne electus, an non) scire potest ex consideratione rerum externarum, siue prosperae siue adversae sint, quia haec omnia possunt iusto perinde ac peccatori contingere. Et paulo post: Rejeto primo illo testimonio propterea, quod dubium est, & non convenit inter omnes de sensu illius, oportet aliunde capiamus testimonia. Florentius Volusenus de Animi tranquillitate pag. 388. ait: Locum Salom. 9. referendum arbitror ad casus hujus vitae: quod praesenti fortunae non sit confidendum, eo quod nesciamus, quid superventura pariat dies; certe absolute vix accipi potest, eo quod nemo nostrum non novit, aut saltem noscere debet, se esse odio dignum. Verba etiam illa (quae tam solcite, immo jactanter a Bellarmino aliisque urgentur) Ecclesiastici 5. 5. juxta veterum versionem, De propitiato peccato noli esse sine metu, nihil probant: aliter enim graece se habent verba, & auctoris sententia alia plane est. Vide Jansen. in locum hunc, & Hist. concil. trid. lib. 2. pag. 345. Forte etiam quidam alii qui citantur loci, parum habent roboris, firmiter tamen id probant multi alii, quos, qui judicio valet, lector facile discernere possit. (Pag. 106.) De locis scripturae, qui contra objiciuntur, legantur controversiarum tractatores & doctissimi scripturarum interpretes. Testimonium Spiritus, quod affirmat apostolus Rom. 8. 16. testimonium reddere spiritui nostro, quod simus filii Dei, (quo loco maxime nituntur omnes, qui contrariam sententiam tuentur) est quidem per se certissimum, & sine

ulla dubitatione credendum, utpote a Spiritu S. qui est spiritus veritatis, proveniens; nobis tamen istud testimonium non est certitudine fidei compertum, esse a Spiritu sancto: neque enim Sp. id testatur per verbum aliquod expressum seu per revelationem, sed tantum id probabilibus conjecturis & signis, vel summum, certitudine quadam morali nobis est cognitum. Ejusmodi autem testimonium Spiritus sancti, quo persvaderetur viris iustis, ipsos esse in gratia Dei, pro majori minorive profectu in vita spirituali, & in studio cultuque virtutum, magis minusve clarum, datur a Spiritu S. qui novit optime omnia moderari, & suavissime atque accomodatissime, pro cuiusque, ut sic loquamur, merito atque utilitate, in tempore & oportune disponere ac dispensare. Aliquando enim Spiritus S. testimonium suum probabiliter tantum facit notum homini; aliquando certum facit certitudine humana & morali; aliquando etiam, licet rarissime, certitudine fidei divinae, per specialem aliquam, videlicet ipsius, revelationem, ut recte & solide respondet Pererius disp. 8. in c. 8. ad Rom. Videantur & alii in eundem locum. Plurima apud Patres legere est, quae huic sententiae repugnant. Neque ullus ex iis locus afferri potest, qui certitudinem fidei cuiquam, citra specialem revelationem, efficaciter suadere possit, etsi plurimos admodum consolatorios, praesertim in Cypriano, Ambrosio, Bernardo facile invenias.

2. *Pugnat cum ratione*, (vide pag. 108. 109. 110.)

Minor

Minor enim syllogismi istius, Omnes vere credentes & poenitentiam agentes certi sunt, & quidem certitudine fidei, de peccatorum suorum remissione & gratia Dei. Sed ego vere credo, &c. Ergo, minor, inquam, nemini fidelium, quantumcumque certitudinem habeat, citra revelationem specialem (quae non nisi paucissimis, omnibus seculis, sapientissimo Dei consilio indulta est) aequae certa est, atque major, ut quae expressum Dei verbum est. Vnicuique enim fidelium in scripturis commendatur magna sollicitudo & cura quotidie seipsum probandi, & magis magisque serio examinandi, an vere & sicut oportet credat, resipiscat, &c. Conclusio autem partem debiliorem semper sequitur.

pag. 107.) 3. *Pugnat cum communi fidelium sensu & experientia.* Ecquis enim fidelium ausit dicere, sibi tam certo constare, se esse in gratia, quam quod Deus sit unus & trinus, vel Christus deus & homo? De fidei articulis nefas est dubitare: dubitatio enim infidelem vel haeticum facit; mille potius mortes in eorum testimonium oppetendae sunt. Illud autem, quod ego vel ille in gratia sit, in hoc certitudinis gradu certum non est, neque etiam esse potest. Immo audacter provoco ad ipsorum acerrimorum huius sententiae assertorum conscientias, an hoc fidei divinae certitudine de se ipsi in particulari credere se audeant dicere, secus nullam sibi in Dei gratia & regno partem in aeternum optare. Audacissime sane M. Bucerus, vir aliquo doctissimus, & quidem

dem omnium Protestantium nomine, illud in Colloq. ratish. 2. p. 463. effutiit: *Nostra est confessio, christianum hominem non esse, qui non eadem fidei certitudine credat, & Christum esse filium Dei, & se per eum percepturum esse vitam aeternam.*

4. Sententia etiam haec pias mentes non tam solatur, quod arbitrantur illi, qui mordicus eam propugnant, quam misere saepenumero cruciat & torquet. Quando enim hanc fidei certitudinem, quae ex lege communi non est possibilis, in se ipsi non inveniunt, neque etiam invenire possunt, nihil tamen vehementius urgere audiunt multos indoctos & imperitos animarum medicos, incredibiles inde dolores & cruciatus in optimis mentibus saepe nascuntur, ut tristis quotidie testatur experientia. Merito igitur haec sententia non paucis nec obscuri nominis Protestantibus aliisque improbatur, ut in sequentibus apparebit.

Jac. Arminius in declaratione sententiae suae, hac dere sic loquitur: *Quantum ad certitudinem salutis, statuo, eum, qui credit in Jesum Christum, tam ex actione Spiritus S. intus ipsum agentis, & fructibus fidei, quam ex propria sua conscientia & testimonio Spiritus, una cum ea testante, certum persvalumque posse esse, atque etiam re ipsa certum esse, si cor suum se non condemnet, filium se esse Dei, & in gratia Jesu Christi stare; quin immo cum certa fiducia gratiae Dei & misericordiae in Christo, ex hac vita migrare posse, & coram tribunali gratiae comparere, citra anxium timorem, & terribilem metum; semper tamen orare debere, ut Dominus secum non ingrediat in judi-*

judicium. Sed cum Dominus major sit corde nostro, & omnium conscius, homoq; se ipsum non iudicet, quin immo etiam, quamvis nullius sibi ipsi conscius, in hoc tamen non iustificetur, sed Deus sit, qui ipsum iudicet, hanc certitudinem non audeo tanti facere, quanti est illa certitudo, qua scimus, Deum esse, & quod Christus sit salvator mundi. Pag. 108.)

Theologi M. Britanniae in suffragio suo de quinto articulo, th. 30. licet loquantur de perseverantiae fidelium certitudine quoad nos, haec habent verba, quae non minus contra certitudinem fidei de praesenti iustitia militant: *Prima debilitas oritur ex ipsa fundamentali huius personalis fiduciae dependentia, quae infra fidei dogmaticae certitudinem videtur subsidere, assensum quippe nostrum afficiunt fidei catholicae articuli, ut principia immediata ac prima: fidei autem specialis veritas non inde deducitur, ut quiddam necessario consequens, sed tamen subjungitur per modum assumptionis. Ergo illius, quae hanc persuasionem facit, conclusionis non potest esse firmitudo major, quam quæ praemissarum debiliori inest. (pag. 106.) Subsumtio autem illa experimentabilibus nititur iudiciis per privatam hominis conscientiam pensatis, quae cum nonnunquam in dubium vocentur, an sint signa genuina, &c. Haec illi vi veritatis coacti: nam thes. 4. de huiusmodi certitudine verae fidei, cui falsum subesse non potest, actum esse volunt. Franciscus Whiteus, episcopus nunc norwicensis, in suo de Controversiis opere contra Fisherum jesuitam de certitudine salutis p. 166. ita scribit: *Particularis cer-**

titudo remissionis peccatorum, quam iusti ex respicientia & fide obtinent, in assensus firmitudine minime aequalis est certitudini, quam circa commune fidei objectum, videlicet de articulis de Creatione, Trinitate, &c. habent, quia articuli hi immediate & totaliter in S. scriptura revelati sunt, sed quod huic vel illi penitenti peccata sua remissa sint, illud ex argumento pender, cuius pars una tantum immediate Dei verbum est, altera autem collectio ex reflexione mentis supra suum actum, & diligente ac sollicita suarum virtutum & actionum observatione exsurgens. Unde conclusio magis minusve secundum assumptionis conditionem, certa est. Citat in margine Bannesium in 2. 2. q. 8. art. 2. concl. un. p. 235, cuius verba probat, & B. Medinam in 1. 2. q. 112. art. 5. ego vero brevitatis studio verba ab illo notata omitto. (Pag. 109.)

Quod proxime subjungit, certitudinem hanc fidelium de sua praesenti justificatione vel iustitia, a Protestantibus ad fidei certitudinem reduci, quia partim innititur propositioni seu sententiae immediate divinae, partim propositioni, quae ex ea, quae divina est, inferitur & colligitur; regulam enim, per quam quispiam se credere & respicere dignoscit, esse Dei verbum, quo fidei & respicientiae conditio seu qualitas explicatur, nae id frivolum est: nam tota quaestio est de certitudine applicationis regulae, illiusque gradu, quam ille jam concessit certitudini fidei divinae non esse aequalem. Vnde tandem agnoscit, dissensionem hac de re inter quosdam doctos Romanenses, qui etiam post

Conc.

Conc. trid. vixere, & Protestantes, *exigui tantum esse momenti*, (p. III.) si modo ulla sit omnino dissensio; nominatqve in marginali A. Vegam, Tapperum, Pererium, Eifengren. & alios. R. Montacutius, episcopus nunc, nisi fallor, cicesirien- sis, in libro, quem vocat *Appello Caesarem* c. 14. acriter contendit contra Puritanos, suos adversarios, Ecclesiam anglicanam minime docere aut tenere talem absolutam salutis certitudinem in iustis, qvalem de aliis fidei objectis expresse & directe per Deum revelatis habent, Probat etiam illorum eruditorum Romanensium (qvorum Fr. Whiteus, per quem liber approbatus, proxime meminit) sententiam p. 212. 213. Denique sic Puritanos ironice compellans, inquit: *Sed vos forte ex meliori luto facti homines*, non tantum omnia, qvae ad praesentem iustitiam spectant aeqve certo cognita & perspecta habetis, atque, *J. Christum in caelis esse, sed & &c.* Robertus Abbotus, episcopus nuper sarisburiensis, in sua Defensione perkinsiani Catholici reformati contra Bishopum, parte I. p. 287. concedit, *vulgus fidelium, non ita certo & infallibiliter suam in particulari salutem credere, ut ab omni formidine contrarii & dubitatione liberi sint*, hac ratione addita: *Qvia conclusiones, qvae ex principiis & immediatis Dei verbis ad nos ipsos de salute nostra derivantur, se ipsis ignotae sunt, & quicquid habent lucis, a principiis tantum id habent; proinde non adeo firma fide vel assensu apprehendi, ut principia ipsa, hominibus forte dubitantibus,*

170 De certitudine gratiae & iustitiae. p. no.

ne in principiorum applicatione & usu aliquid admiserint vel admittant erroris. Pag. 110.) Quod quid aliud re ipsa est, lector, quicquid verbo vel ille vel alii etiam contradicant, quam certitudinem minoris, ac proinde conclusionis etiam illius supra formati syllogismi, non esse aequalem certitudini maioris, quae fide divina & firmissima creditur, quia immediatum Dei verbum est, & communem maximaeque fidelium partis sensum id ipsum clarissime testari? Vide etiam, lector, quia brevitati studeo, I. Whiteum, Francisci supra nominati fratrem, in sua Defensione viae ad veram ecclesiam cap. 16. n. 2. p. 136. & n. 4. p. 140. 141. ubi post multa admodum perplexe & intricate dicta, sententiam Vegae aliorumque supra laudatorum admittere videtur, & hanc privatam fidelium de sua salute persuasionem esse, quidem effectum fidei vult, & mordicus defendit, non tamen aequo certo & firmiter hoc fide apprehendi, atque ea, quae immediate revelata & expresse in Dei verbo scripta sunt.

Vorstius in suo Antibellarmino, multum a multis Protestantibus quondam laudato, p. 613. & 647. In hac autem parte, inquit, scil. de certitudine praesentis iustitiae, primum merito conquerruntur Evangelici, statum quaestionis non satis fideliter ab adversariis explicari solere. Non enim absolutam ejusmodi certitudinem, qualis est in historica fide, sed fiducialem persuasionem cum perpetua illa inquietudine & dubitatione animi pugnantem, homini fidei attribuimus: licet hanc persuasionem multo certiores

iores

tiorem esse statuamus, quam ut conjecturalis tantum aut moralis dici debeat; quum non ex obscuris signis, aut frivolis conjecturis, neq; ex incerta aliorum hominum attestatione, sed ex interiori animi nostri sensu, seu potius arcano Spiritus S. testimonio, & apertissimis gratiae promissionibus oriatur, eoq; conscientiam plane securam efficiat. Pro hac igitur sententia (quae tantam propriae iustitiae certitudinem homini fideli attribuit, quanta ad conscientiam coram Deo tranquillandam & perpetuam dubitationem excludendam sufficit) haec fere argumenta nostri afferunt. Haec ille, paulo mollius & melius, quam multi alii, sententiam Protestantium explicans.

Pag. III.) Archiep. spatat. de Rep. Eccles. I. 7. c. II. n. 223. *Fides nostra est circa thesin & hypotheticæ, h. e. dari remissionem peccatorum a Deo, si quis vere poeniteat, eaque agat, quae ab illo Deus requirit, ut eum iustificet, & in hoc neminem fidelem haesitare debere, certo scio; sicut neque in debita fiducia debet haesitare, qui plurimum confidat sibi dimitti peccata, etiam in hypothesi, a divina misericordia, ubi confidat etiam merito, se esse vere poenitentem, sed tamen in hypothesi & absolute fide posse quenquam aut debere credere, sibi esse remissa peccata, non video quicquam, quod cogat. Video quidem multa, quae magnam ingerant probabilitatem de praesentia gratiae & justificationis, immo & moralem certitudinem per gravissimas & vehementissimas conjecturas; interim tamen non pauca quoque suppetunt ordinariæ omnibus, (si secludas privatae, speciales ac certas reve-*
lati-

lationes) ex quibus metus quoque & formido propriae salutis exsurgat, non circa thesin, quae certa est & fide notissima, sed circa hypothesin: unde enim certa fide divina mihi constat, me esse verum poenitentem, meam esse vivam fidem & non mortuam, me nullo occulto peccato coram Deo adhuc premi? Ps. 18. vel 19. 13. quis certa fide novit, se perseveraturum & non amplius irremediabiliter lapsurum? quem casus Saulis non terret & Salomonis, & similes? cur dicitur cuique fideli: Cum metu & tremore salutem opera mini, Phil. 2. 12. Et post haec: Sinant ergo isti (Protestantes) nos (Romanenses) abjecta hac fidei certitudine, ex morali certitudine consolatoriam sumere, & ex debito ac sancto metu cautius coram Deo ambulare; ipsi vero modo caveant a nimia praesumptione, & inde se oscitantiae non tradant. Abundent in sensu suo, nec inde (vide p. 109.) alteri alteros damnent. Et inferius: Viderint ipsi interim; nos quoque videamus, ut salvemus Pauli dictum valde consolatorium: Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Rom. 8. 16. Sed ad hoc necessaria est discretio spirituum. Haec huius viri in controversiis hodiernis exercitatissimi, & concordiae inter partes studiosissimi, sententia fuit.

Sed ut hanc fortasse multis nimis molestam diatribam tandem concludamus, 1. Infirmis & paavidis conscientis, quae cum gravi & anxia dubitatione saepe luctantur, quae etiam dubitatio, ex propriae infirmitatis & imperfectionis iustitiae intuitu nata, virorum sanctissimorum mentes non raro exercet, utrinque, praesertim morte immi-

imminente, ab omnibus fidelibus pastoribus occurratur, & tales sedulo admoneantur, ut hujusmodi dubitationibus dulcissimas evangelii promissiones fortiter opponant, & fidem atque fiduciam sibi augeri instantè orent. Hoc Romanenses ipsi solenniter se & facere & fieri ab omnibus pastoribus jubere protestantur, & gravissimam sibi injuriam a rigidioribus Protestantibus fieri conqveruntur, quando illi eis impingunt, quod doceant & jubeant (vid. p. 95.) homines de Dei gratia & salute semper dubitare, ideoq; provocant ad sua ipsorum scripta, & ad quotidianam praxin. pag. 112.) Vide Cassandri Consult. art. 4. de Justif. p. 913. 915. Neque etiam illa summi gradus certitudo seu fidei divinae plerophoria nimis importune urgeatur, nec a fidelibus quasi praecise necessaria exigatur, (utinam moralem illam certitudinem, de qua pag. 95. dictum, assequi possent omnes!) 1. ne pavidæ conscientiae inde magis paveant. 2. ne timor Dei, etiam filialis, piorum animis excutiat, aut saltem minuatur, & carnis securitas alatur, beneque operandi studium remittatur. Vide Cassandrum pag. 906. Solicite studeant omnes utriusque partis, suam de praesenti justitia & Dei gratia persuasionem, quantacumq; illa sit, per bona opera magis magisque certam & firmam facere, ut monet apostolus Petrus 2. ep. 1. 10. *Quantum enim crescis in gratia, tantum & in fiducia dilataris*, inquit Bernh. serm. 3. in Cantica. Denique a nimis curiosa & scrupulosa de hujus certitudinis gradu & mensura disputatione, maxime autem ab omni temera-

mera-